

Andreas Daniel Habichhorst   Wolfgang Adam Lauterbach

## **Theses Historicae De Donatione Constantini Dacta, ut aiunt, Sylvestro Papae eiusq[ue] Successoribus**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048759>

Druck   Freier  Zugang



RU theol. 5.Nov. 1670

Habichhorst, Andr. Dan. /c



THESES HISTORICÆ  
DE  
DONATIONE  
CONSTANTINI 38

FACTA, ut ajunt,  
SYLVESTRO PAPÆ ejusq; Successoribus,

<sup>Quas</sup>  
In Celeberr. ad Varnum Academia  
Consentiente Ampliff. Facult. Philof.

SUB AUSPICIIS  
DIVINI NUMINIS

ἡφ' ἔκφραβαίνει πᾶσι δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δῶρημα τέλειον,

PRÆSIDE

M. ANDR. DANIELE  
HABICHHORSTIO,

S. THEOL. CANDID.


Ad publicam placidamq; συζήτησιν Academicam  
IN AUDITORIO UNICORNIS

proponit

JOH. JACOBVS VISCHERVS,

Culmbacho-Francus, SS. Th. & Phil. Stud.

Ad d. V. Novembr. Hor. matut. AN. M. DC. LXX.



ROSTOCHII, Typis JOHANNNIS KILII, Univerf. Typogr.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are difficult to discern but appear to include names and titles.



703



Quanta fuerit hominum superiorum seculorum quidvis prohibendae fingendi audacia, quantoque Zelo alii superstitionibus illas putidasque prosecuti fuerint fabulas, collectu inter alia facile ex decantatissimo est Constantini M. instrumento, quo Imperator *Syvestro Pape* ejusque successoribus in perpetuum donasse Romam totamque Italiam & Imperium occidentale perhibetur. Nos hac vice figmentum esse dictam hanc donationem ex historiarum monumentis & ipsius instrumenti, quod circumfertur, contentis breviter ostendemus.

I. Donatio hæc falsitatis arguitur ex partitione imperii, quam paulo ante obitum Constantinus instituit; Nam teste Socrate l. i. hist. Eccl. c. 25. Filio natu maximo *Constantino occidentem* sc. cuncta trans Alpes, avitam possessionem, Galliam &c. assignavit, secundo *Constantio orientem*, Tertio *Constanti* interjectas superioribus regiones, Illyricum sc. Italiamque; & ipsam Romam, item Africam, Dalmatiam &c. Socrati adstipulantur Eusebius & Rufinus historiarum sui ævi scriptores clarissimi.

II. Non Italiae tantum sed & imprimis Romæ Urbis imperium penes Constantini successores & Imp. Romanos usque ad Augustulum, quem Odoacer Herulorum Rex Italia expulit, mansisse passim historici memorant. Facit huc quoque Exarchatus Ravennatis institutio facta seculo VI. ab Justino II. in Italia. Devictis enim à

A 2

Justi-

Justiniano per Belisarium & Narsetem Gothicis, statim Exarchi s. Caesarum Romanorum in Urbe Constantinopoli tunc sedentium, vicarii in Italiam sunt missi, qui quidem non Romæ sed Ravennæ habitabant, in Italia tamen per duo secula & quod excurrit adusque Caroli M. ferè tempora nomine Imperatorum Rom. regiones Casari subjectas gubernabant & ipsi quoq; Romæ Duces præficiabant, Vid. Disp: nostra de Exarchatu Ravennate.

III. Neq; Constantinus neq; successores ejus per mille annos agnoverunt aut ratam habuerunt fictam illam donationem. Notum quoq; est Constantini successores non tantum Romæ sed & ipsorum fuisse Pontificiorum Dominos, eosque sapius deposuisse: quomodo ipse *Constantius* Constantini filius Papam *Liberium*, qui post *Sylvestrum* Romæ sedit, quod damnationem *Athanasii* probare nollet, in exilium misit, à quo tamen post biennium fuit revocatus. Ubi notandum, quod Imperator inter alia sic *Liberium* fuerit allocutus: nos, quod Christianus esses, dignum te judicavimus Episcopatu URBIS NOSTRÆ. Theodoret. l. 2, c. 16. Cluv. Epist. hist. p. m. 339. ita *Justinianus* seculo VI, *Sylverium* suffecto ei *Vigilio* deposuit, & *Vigilium* dein ipsum carceri inclusit &c.

IV. Nullus probatæ fidei scriptor, qui tempore Constantini M. vel proximè secuta vixit ætate producitur, qui Constantinum M. donationem hanc fecisse referat. Quod si vero donatio talis fuisset facta, certè *Eusebius*, *Ruffinus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus* & *Evagrius*, qui vitam & res gestas Constantini M. papæq; *Sylvestri* singulari consignarunt studio, adeoq; optimam Donationis hujus commemorandæ occasionem habuerunt, mentionem de ipsa habuissent.

V. Neq; desunt ex ipsis Pontificiis, qui quæstionem apertè negant. Non advocabo nunc *Laurentium Vallam* Patritium Rom. qui ante duo vixit secula sub *Nicolao V.* & *Eugenio IV.* Pontificibus, inq; declamatione publica bene longa hanc Donationem falso creditam & ementitam ostendit. Non *Aneam Sylviam*, qui tandem factus est Papa dictus *Pius II.* Non *Canum*: non *Nicolaum de Cusa*, non *Gricciardinum*, qui nobiscum faciunt. Prodeat saltem *Corus* Anglus, qui ex *Hieronymo Paulo Catthalono* J. U. D. & cubiculario Alexandri VI. sequentia habet: Quod donatio Constantini etiam de factis non fuerit, lege

lege Laurentium Vallam & Papam Pium in Dialogo. Nec de ea quicquam legi apud probatum historicum, præsertim inter eos qui scripserunt illa ætate, vel illi proxima. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, quod tamen nullo modo videtur omnittendum, nec Hieronymus, Augustinus, Ambr. Basil. Chrysof. nec Ammianus, nec historia tripartita, nec ipsemet Damasus Papa &c. Et constat per plures quam trecentos annos post Constantinum Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiae per duces, præfides, Exarchos &c.

VI. Hinc callidum aliquando à Venetis datum est responsum Pontifici quærenti, quo jure Veneti vectigalia aliasq; jurisdictiones in mari Adriatico sibi solis vindicarent. Scilicet responderunt argute: se mirari quod ista privilegia peterentur demonstrari, quæ Pontifices ipsi penes se jam pridem & quidem archetypa tanquam rem sacram diligentissimè in suis custodirent archivis, eaq; reperiri facile posse, si Donationis Constantini membranæ pars exterior, in qua majusculis ea literis conscripta essent, curatius inspiceretur. Camerarius cent. 1. oper. subcif. p. 278.

VII. Quod ipsum attinet donationis instrumentum, in illo certè ipso argumenta extant, quibus illud confictionis & falsitatis convincitur. Pauca saltim adducemus. In præfatione illius edicti seu Donationis ad Julium II. Papam dicit Bartholomæus Picernus de Montearduo, se donationem è Græco feliciter convertisse. Ceterum verosimile non videtur donationem illam, si extaret, à Constantino lingua fuisse conceptam Græca, quippe qua ferè nunquam legitur usus: quin Eusebius in vita ejus testatur, quod omnes illius epistolas & decreta latinè scripta in Græcum transulerit.

VIII. Dicitur in illo instrumento Constantinus Romæ baptizatus à Sylvestro Papa & exinde purgatus à lepra. Contra Eusebius Constantino probè notus & dilectus in vita ejus l. 4. c. 61. & 62. testatur fuisse baptizatum Nicomediæ paulo ante obitum. Neque rei hujus alius testis fide dignus Constantiniani ævo aut pluribus post seculis mentionem fecit. Hinc Platina ipse in vita Marci Papæ ait: quod in lepram incidit (ut vulgo creditur) baptismoque mundatus sit &c. nullo modo credo, Socratem secutus &c.

IX. Narratur itidem Constantinus quæsisse, quinam Dii essent



essent Petrus & Paulus. At vero qui novit Petrum & Paulam homines esse, quod optimè noverat Constantinus per aliquod tempus inter Christianos versatus, ille bene novit Deos non esse, nec interrogare ita potuit.

X. Scribitur hîc Constantinus decrevisse, ut sedes Romana principatum habeat super 4. præcipuas Antiochiæ, Alexandriae, Constantinopoleos & Hierosolymorum. Ceterum nulla tunc temporis, cum hac donatio scripta fingitur, Constantinopolis erat. Deinde sequeretur non à DEO, quod Pontificii contendunt, sed ab homine potestatem habere principalem Romanam Ecclesiam. Cetera hujus donationis figmenta & plane ridicula nunc non lubet adducere.

כוח לראיין :



## COROLLARIA

- I. Fabula est, Leonem IV. inter & Benedictum III. Pontifices mediam sedisse faminam Johannam Papissam.
- II. Loco prov. 31. 6. תנו שכר לאובר ויין למרי נפש abuti videntur, qui facinorosos instante supplicii tempore ad ebrietatem usq; vino implent. Nobis Autor aliud intendere videtur. Neq; ulla necessitas est, per אובר intelligere *moriturum*, aut *periturum*.
- III. Qui locum prov. 25. v. pen. וחקר כבודם כבוד rectè à vulgato redditum putant: *Scrutator majestatis opprimetur à gloria*, vel hunc locum contra eos citant, qui divina scrutantur nimis, Ebraismi rudes se produnt.


IV. Deut.

IV. Deut. 26. 25. versio Vulg. & Germ. à fonte  
abeunt: *Syrus persequatur patrem meum.*

V. Idem faciunt eadem 1. Sam. 2. 12. *nescientes De-  
um neq; officium (jus) sacerdotum cum populo.*

VI. Cum Germ. versione loci Deut. 29. 29. non  
facimus; Vulg. placet: *occulta ad Dominum Deum  
nostrum, & revelata ad nos & filios &c.*

VII. Labet inquirere, an dentur aquæ supra-  
cælestes, quæ non sint nubes vel in nubibus.  
Si audiverimus rationes firmas, quibus impu-  
gnari possint, & nos illas negabimus; sin mi-  
nus, affirmativam tuebimur.



Ad

*Præstantiss.*

**DN. RESPONDENTEM**

S. Th. & Philol. Orient, Studio-  
fissimum.

I.

**L** *Ipsiacos* audisse Viros & docta norasse  
Dicta Professorum non sat honoris erat;  
Sed quoq; , dante DEO, cœpti monumenta la-  
boris

Ad vada *Arriadum* jam positurus ades.

Laudo

Laudo virtutis conamina pulchra, precatus  
Ingenii crescas fertilitate Tui,  
Hinc ut percipiat largos *Franconia* fructus,  
Quæ te materno fovit amica sinu.  
Nata polo mens ignorat requiescere, motu  
Concita divino currit ad astra viam.  
Et varii quamvis montes conatibus obstant,  
Ipsa tamen studio pernice vincit eos.

II.

*Ad Eandem.*

**N**on † *hic*; JANE, † *ures*, nec eris † *rens* artis  
iniquæ;  
Ast † *ures* potius fontis amore sacri.  
† Anagr. *Uischer.*

III.

*De Eodem.*

**D**icitur *hic*\* *versus*, non sic ut *versus* habetur  
Nunc mundus; sed uti pagina sacra jubet,  
Dicitur *hic*\* *servus*, sed cujus? criminis? absit:  
Virtutis studet *hic* *servus* & esse DEI.  
Virtuti simul atq; Deo *servire* profectò  
Maxima libertas est, erit atq; fuit.


\* Anagr. *Vischerus.*

*Imq; scrib.*

M. A. D. Habichhorst.







IV. Deut. 26. 25. versio Vulg. & Germ. à fo  
abeunt: *Syrus persequeretur patrem meum.*  
V. Idem faciunt eadem 1. Sam. 2. 12. *nescientes.*  
*um neq. officium (jus) sacerdotum cum populo.*  
VI. Cum Germ. versione loci Deut. 29. 29. ne  
facimus; Vulg. placet: *occulta ad Dominum Deo*  
*nostrum, & revelata ad nos & filios &c.*  
VII. Labet inquirere, an dentur aquæ sup  
cælestes, quæ non sint nubes vel in nubib  
Si audiverimus rationes firmas, quibus imp  
gnari possint, & nos illas negabimus; sin  
nus, affirmativam tuebimur.



Ad  
*Præstantiss.*  
**DN. RESPONDENTE**  
S. Th. & Philol. Orient, Studio-  
sissimum.

I.  
**L** *Ipsos audisse Viros & docta norasse*  
*Dicta Professorum non sat honoris erat*  
*Sed quoq; dante DEO, cœpti monumenta*  
*boris*

*Ad vada Varniadum jam positurus ades.*  
Lau

